

**MISSÆ
PRO VARIIS NECESSITATIBUS**

1. PRO CAPITULO VEL CONCILIO

Ant. ad introitum

Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte, quod est vínculum perfecti-
onis; et pax Christi exsúltet in córdibus vestris.

Collecta

Ecclésiæ tuæ, Dómine, rector et custos,
infúnde, quæsumus, fámulis tuis
spíritum intellegentiæ, veritátis et pacis,
ut, quæ tibi plácita sunt, toto corde cognóscant
et, ágnita, tota virtúte secténtur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui pópulis tuis indulgéntia cónsulis □
et amóre domináris,
da spíritum sapiéntiæ quibus dedísti régimen disciplínæ,
ut plebs tua ad veritátis agnitióem pleniórem
et sanctitátis tibi accéptum ducátur augméntum.
Per Dóminum.

Lectiones seliguntur e Lectionario Romano vel e Lectionario pro
Missis O.P.

Super oblata

Réspice, clementíssime Deus, múnera servórum tuórum,
et grátiam tui lúminis illis impénde,
ut quæ recta sunt in óculis tuis veráciter intéllegant,
et fiduciáliter exsequántur.
Per Christum.

Præfatio: De actione Spiritus Sancti in Ecclesia.

℣. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spírítu tuo.

℣. Sursum corda.

℞. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

□

Qui síngulis quibúsque tempóribus aptánda dispénsas,
mirísque modis Ecclésiæ tuæ gubernácula moderáris.
Virtúte enim Spírítus Sancti ita eam adiuváre non désinis,
ut súbdito tibi semper afféctu
nec in tribulatióne supplicáre defíciat,
nec inter gáudia grátias reférre desístat,
per Christum Dóminum nostrum.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Ant. ad communionem

Ubi cáritas est vera, Deus ibi est.

Congregávit nos in unum Christi amor.

Post communionem

Da, quæsumus, miséricors Deus, ut sancta quæ sumpsimus
fámulos tuos in veritáte confírment,
et honórem tui nóminis illos fáciant exquirere.

Per Dóminum

2. PRO PRÆDICATORIBUS

Ant. ad introitum

Cf. Io 15, 16

Ego vos elégi de mundo,
ut eátis, et fructum afferátis:
et fructus vester máneat (T.P. allelúia).

Vel:

Mc 16, 15; Mt 28, 20

Eúntes in mundum univérsum,
prædicáte Evangélium omni creatúræ:
docéntes eos serváre omnia,
quæcúmque mandávi vobis.

Vel:

Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte,
quod est vínculum perfectiónis:
et pax Christi exsúltet in córdibus vestris.

Collecta

Corda famulórum tuórum, Dómine,
illúmina Spíritus Sancti grátia;
ignítum eis elóquium dona,
et iis, qui tuum prædicant verbum,
largíre virtútis augméntum.
Per Dóminum.

Lectiones inveniuntur (p. 403).

Super oblata

Fámulis tuis, Dómine, verbum tríbue gratiósum
et, múnera obláta sanctíficans,
corda eórum in salutári tuo, quæsumus, vísitā.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Mt 28, 20

Ecce ego vobiscum sum ómnibus diébus,
usque ad consummationem sæculi, dicit Dóminus.

Vel:

Cf. Io 17, 17-18

Pater sancte, sanctífica eos in veritate.
Sicut tu me misisti in mundum,
et ego misi eos in mundum, dicit Dóminus.

Post communionem

Consérva, Dómine, fámulos tuos.
Unigéniti tui córpore et sángine suscépto,
et tuum nuntiántibus verbum largitátem tríbe gratiárum.
Per Christum.

3. PRO CONVENTU SPIRITALI VEL PASTORALI

Ant. ad introitum

Mt 18, 19. 20

Dicit Dóminus: Ubi sunt duo vel tres congregáti in nómine
meo, ibi sum in médio eórum.

Vel:

Col 3, 14-15

Super ómnia caritátem habéte, quod est vínculum perfecti-
onis; et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et
vocáti estis in uno córpore.

Collecta

Infúnde in nobis, quæsumus, Dómine,
spíritum intellegéntiæ, veritátis et pacis,

ut quæ tibi sunt plácita toto corde noscámus,
et, quæ novérimus,
unánimi voluntátum consensióne sectémur.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, cuius Fílius ómnibus in nómine suo congregátis
promísit seípsum in médio eórum affutúrum,
præsta, quæsumus,
ut illum præsentem nobíscum sentiámus,
et abundáre in córdibus nostris
grátiam, misericórdiam et pacem
in veritáte et caritáte experiámur.
Per Dóminum.

Lectiones seliguntur e Lectionario Romano vel e Lectionario pro
Missis O.P.

Super oblata

Respíciat, quæsumus, cleméntia tua, Dómine,
tuórum múnera famulórum,
ut, quæ sunt in óculis tuis salutária atque recta,
et veráciter intéllegant, et fiduciáliter eloquántur.
Per Christum.

Præfatio de Spiritu Sancto II (p. 284).

Ant. ad communionem

Ubi caritas est vera, Deus ibi est.
Congregávit nos in unum Christi amor.

Post communionem

Da nobis, miséricors Deus, ut sancta, quæ sumpsimus,
et nos in tua voluntáte confirment
et testes ubique veritátis effícient.
Per Christum.

MISSÆ VOTIVÆ

1. DE SANCTISSIMO NOMINE IESU

Iuxta rubricas, Missa sumitur e Missali Romano (n. 4, p. 859) cum lectionibus congruis e Lectionario Romano (III, p. 841).

2. DE DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO PATIENTE

Iuxta varias circumstantias adhiberi potest Missa votiva de mysterio Sanctæ Crucis (MR n. 2, p. 857), vel de pretiosissimo Sanguine D. N. Iesu Christi (MR n. 5, p. 860), cum lectionibus congruis Lectionarii Romani (III, pp. 791, 851).

3. DE BEATA MARIA VIRGINE

A

De Beata Maria Ecclesiæ Matre

Textus sumitur ut in Missali Romano (n. 8, p. 867) et in supplemento Lectionarii Romani.

B

Patrocinium B. Mariæ Virginis

Ant. ad introitum

Beáta es, Maríá, quia ex te mundi salus advénit;
iam ergo gloriósa gaudes ante Dóminum:
intercéde pro nobis ad Fílium.

Vel:

Hebr 4, 16

Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiaë,
ut misericórdiam consequámur,
et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

Collecta

Deus, qui beatíssimæ Vírginis Mariæ singulári patrocinio
Ordinem Prædicatórum ad animárum salútem institui,
eiúsque perpétuis benefíciis cumulári voluísti:
præsta supplicibus tuis

ut, cuius hódie commemoratióem cólimus,
illíus protécti auxiliis ad cæléstem glóriam perducámur.
Per Dóminum.

Vel:

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ
Dei Genetrícis orátio:
quam etsi pro conditióne carnis
migrásse cognóscimus,
in cælésti glória apud te
pro nobis intercédere sentiámus.
Per Dóminum.

Lectiones inveniuntur (p. 411).

Super oblata

Tua, Dómine, propitiatióne,
in hac beátæ Mariæ semper Vírginis celebratióne,
ad perpétuam atque præsentem
hæc oblátio nobis proficiat prosperitátem et pacem.
Per Christum.

Præfatio I de B. Maria Virgine (p. 83).

Ant. ad communionem

Io 1, 14

Verbum caro factum est et habitávit in nobis,
plenum grátiae et veritátis.

Vel:

Lc 1, 49-50

Sanctum est nomen Dómini,
et misericórdia eius a progénie in progénies
timéntibus eum.

Post communionem

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsidiis,
da, quæsumus, beátæ Mariæ semper Vírginis patrocíniis
nos ubíque prótegi,
in cuius veneratióne hæc tuæ obtúlimus maiestáti.
Per Christum.

4. DE SANCTIS ORDINIS NOSTRI

Pro Missis votivis de Sanctis Ordinis (cf. IGMR, n. 316, c) eligi possunt formularia propria de eorum festis cum lectionibus aptis.

Præfatio: Sanctorum nostrorum charisma et exemplum.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
nos tibi semper et ubique grätias ágere:

Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui inter multos ad te in via Domínici gradiéntes
beátum N. in montem sanctum tuum adduxísti
eiúsque hódie * * * nobis celebráre concédís:
ut ad illíus imitatióem excitémur
et in spírítu vocatiónis nostræ roborémur.

Quos tu, Pater, misericórditer in Fílio vocásti
et in tua veritaté sanctificáre voluísti,
ipse verbo salutis erudíre et ad salutem addúcere
sitiénti desidério conténdit,
fidei sacraméntis grátia perfúndi impetrávit
et in unitate consummáre apostólica satégit caritate.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis
tibi confitémur, in exultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

MISSÆ DEFUNCTORUM

Missæ, orationes et lectiones sumuntur e Missali et Lectionario Romano, iuxta necessitates et rubricis perspectis.

Pro Anniversariis ab Ordine universo celebratis, die 7 februarii, 5 septembris et 8 novembris, adhiberi possunt quæ supra (pp. 151, 216, 250) et infra (pp. 312, 368, 394) indicantur.